



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Quoad emissa ante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Regularibus, sui iuris sunt, nec à Superioribus impediuntur. Petes, vota facta tempore, quo quis est Religio-
sus, implenda, quando non est amplius subiectus, v.g.
quando erit creatus Episcopus, possuntne superiores
impedire? Respondeo, de hoc dicitur *infra*, cum de servo-
rum, et de quibusque votis.

39. Nominem autem Superioris hac in re veniunt.
Primo Summus Pontifex. Ita Valent. 2. d. 6. quæst. 6. p. 6.
Secundo, quilibet enim Religiosus, per votum obedi-
entiae, quod est capiti omnium Religiosorum sub-
iectus, quodammodo potestatem habet ab obedi-
entia. Unde videtur Pontificem posse quidem dispensare
in votis non Religiosorum, non verò directe in
Religiosis: quia potestas irritandi ortum habet ab obedi-
entia: quod non omnes Fideles emittunt: at facul-
tas dispensandi consequitur ad potestatem jurisdictionis
potestatis, cui omnes iidem Fideles subijciuntur. Dixi
quidem, propter illud quod docui §. 3. n. 2.

30. Secundo, Generalis, Provincialis, Prior seu
Receptor hoc est, Superior localis, & quicumque habet
absolutum regimen Conventus: hi enim jurisdictionem
habent sufficientem in subditis.

31. Tertio, Abbatissæ in valde probabili opinione.
Ita Sanch. l. c. 33. n. 19. Suar. l. c. fin. subditæ enim imi-
tatur votum obedientiæ Abbatissæ, sicuti subditi Prae-
lati: quodammodo sentiant Azor. p. 1. lib. 1. c. 17. q. 3. Castr. l. 1.
c. 17. qui solum Abbatissæ concedunt posse irritare vo-
tum præjudicantia gubernationi domus.

32. Nominem autem subditorum veniunt. Primo, di-
recti, profecti solemniter. Secundo, ij, qui vota biennij
emittunt in Soc. Jesu Suar. l. 6. de voto, c. 7. n. 20. Sanch.
l. 4. in Dec. c. 33. n. 24. quia hi sunt verè Religiosi, atque
ex parte sua omnino Superioribus subiecti. Id autem in-
terdixit de votis factis in Societate, nam de factis in sæ-
culo, non ita ut n. 6. diximus.

33. Non verò veniunt, Primo Novitij. Sic Suar.
Sanch. aliique apud Castr. l. c. 10. quia nondum votum
obediendi Religioni emisissent, quamvis particularia
quædamque vota emisissent. Neque obstat Novitios in
familiaribus reputari Religiosos, ut diximus *supra*, lib. 2.
cap. 1. nam tales reputantur, ob privilegia, ad potestas
irritandi, de qua hic agimus, fundatur in potestate do-
minativa, quæ Superioribus competitratione voti obe-
dientiæ Religioz, à subditis emissæ.

34. Secundo, nec Religiosi creati Episcopi, sic Ca-
str. Pal. *ibid.* c. 3. n. 7. Tertio, nec dimissi perfectè in sæ-
culum; quia sic Praelatis Regularium jam amplius non
esse subditi supponuntur. Hinc vota facta à Religioso
tempore, quo Religiosus est; non possunt irritari tem-
pore, quo exemptus fiat à talis Superioris subjectione;
non enim non remanet Superior respectu illius. Non ita
in Patre respectu filij; quia is remanet semper Pater, ut
supra vidimus.

35. Una superest difficultas: Quid enim dicendum
si de licentia, vel tacita, vel expressa Superioris factum
sit votum? Respondeo tribus dictis, quæ proportiona-
liter sunt communia Patri respectu filij, & omnibus, qui
irritare vota aliquorum possunt. Dico primò: Si Gene-
ralis dederit alicui votandi licentiam, non potest deinde
illud votum irritare Provincialis, & Superior localis; Si
dederit Provincialis, vel dictus Generalis, nec item po-
tuit localis Superior. Ita Suar. l. 6. de voto, c. 8. n. 1. Sanch.
l. 4. in Dec. c. 37. n. 2. Ratio est manifesta, quia Superiore
majore contentiente, non valet minor Superior valide
contradicere. Quod si licentiam concesserit Superior
equalis, etiam cum promissione eam non revocandi, po-
terit equalis, successor: v.g. dedit licentiam Pro-
vincialis, poterit Successor Provincialis; dedit Receptor,
poterit Receptor, qui succedit. Ratio est, quia successor
numquam amittit suum jus.

36. Dico secundò, idem Superior, qui dedit vove-
di licentiam, vel promissit non revocaturum, irritare
quidem valide adhuc potest; ita idem: sed nisi causa ex-
cuset, peccabit eo pacto, quo mox n. 37. & 38. dicemus.
Ratio est, quia per illam licentiam, vel promissionem non

se abdicavit, immò nec abdicare se potuit sua potestate;
& ex alia parte, cum id sit saltem contra fidelitatem, ali-
qua ex culpa, quam tamen non potest rationabilis cau-
sa non excusare.

37. Dico tertio. Irritare, vel irritationem petere
contra promissionem datam de non irritando, non videri
nisi peccatum veniale. Ita Castr. *irrit.* l. 5. d. 2. p. 3. §. 2. n. 9.
(esto communior Sententia doceat ex se esse mortale. Ita
Cajet. Arag. Laym. Sanch. aliique apud Castr. l. c. n. 8.) Ra-
tio est, quia tota qualitas hujus culpæ consistit in infide-
litate, & quadam levitate, seu inconstantia, quæ concesi-
sio promissa sine causa revocetur: at infidelitas, & in-
constantia, nisi aliud grave addatur contra Justitiam, vel
Religionem, non obligat ad mortale: ergo, &c. Fateor
tore ex genere suo mortale, si id Superior cum juramen-
to promississet: sed certè id non esset mirum, quia tunc
aderetur perjurium contra Religionem.

38. Dixi (contra promissionem) nam si Superior
solum licentiam dedisset nullam addendo promissionem,
peccatum non committeret illam revocando, atque adeò
votum irritando. Sic Castro Pal. *ibid.* num. 4. quia licentia
absolutè concessa semper intelligitur sine præjudicio ju-
ris proprii, & quantum minus potest ledere propriam po-
testatem.

39. Ex dictis habes casum nostrum, hic non habere
locum; quia Vota Antonij, de quibus est disputatio,
non fuerit emissæ tempore Religionis, sed in sæculo.

Quoad Vota emissæ ante subjectionem.

40. Dico primò. Vota facta in sæculo, vel in Novi-
tatu, uno verbo, ante ingressum Religionis, atque
adeo ante subjectionem (sed non ætate pupillari, de his
enim mox) nequeunt irritari à Superiore. Sic Castr. l. 3.
rr. 15 d. 3. p. 3. §. 5. n. 1. Ratio est, quia non fuerunt facta
sub conditione beneplaciti superioris. Hæc igitur vota
extinguntur quidem ipsius professionis vi, & suspendun-
tur per vota biennij, Societatis Jesu, ut nuper diximus,
non verò à superiore irritari valent. Illud adde, quòd si
ejusmodi vota nec extinguerentur, nec suspenderentur
modo dicto, adhuc possent suspendi à superiore ea, quæ
ipsius gubernationi nocerent; Ita *ibid.* quia per potesta-
tem, quam acquirit vi voti obedientiæ, potest omnia
præjudicantia bono regimini propellere.

41. Dico secundò. Vota facta ante Religionem à
pupillo ita potest Superior irritare, sicut potuisset Pater,
vel Tutor, vel Curator, Ratio est, quam breviter innuit
Lessius lib. 2. cap. 30. d. 15. n. 93. his verbis: Si Novitius in
sæculo, vel in Novitatu emisit vota in ea ætate, in qua Pa-
ter, Tutor, vel Curator potuisset ea irritare eadem poterunt
etiam à Praelato Religionis irritari, cum in illorum potestatem
succedat, ut Sanchez, lib. 9. de matr. d. 4. n. 4. notat.

32. Petes: Si pupillus carens Patre, Tutore, Cura-
tore Matre, &c. voveat, & deinde detur ei à judice, Tu-
tor, vel Curator, possintne hi vi autoritatis superven-
ientis irritare ejusmodi pupilli vota ante subjectionem
facta? Nam si possunt, confirmatur nostra doctrina, quòd
possint etiam superiores. Respondeo, Non posse docet
Castro Palaus, quia tale votum non fuit emissum tempo-
re subjectionis. Sed profectò mihi hoc difficile videtur;
censeo enim posse. Ita *ibid.* in 2. ed. quia ea vota semper
supponuntur facta cum minori discretionem, atque adeò
esse irritabilia: unde ex juris interpretatione censentur
fuisse emissæ sub conditione beneplaciti Patris, vel ejus
locum tenentis, si quando existeret: bene igitur ex hoc
confirmatur nostra doctrina, cum Superior loco illorum
succedat. At idem sit in servis, & uxore, dicam n. 52.

43. Ex dictis habes, superiorem Societatis Antonij
providere potuisse, ejus vota facta, dum in sæculo im-
pubes versaretur, irritando; sed quia non irritavit, alia
via querenda est.

De Servorum, & Conjugatorum Votis.

42. Ut hac occasione tota materia de irritatione
Votum agitur, digrediamur tantisper ab Antonio,
& servorum, conjugatorumque vota consideremus.

Vota